


CHRIS[...] Autor,
[...]rum,
Dum [...] eius esto
[...] liber!



Notandum ex hoc libro
de Melanchtone pag -- 215
quod sit Sacramentarius
de Brentio quod his etiam
in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio X.

COLLEGII CORPORIS DOctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

DE JUSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO.

SUB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENTÆ, SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

DAVIDE HOPPIO COSLIN: Pomer: Scholæ Palæopolit: Regiom. Conrect.

Publicè in Auditorio majori, Ianuar. habenda.

REGIOMONTI,

Typis Laurentii Segebadii, Anno 1625.

VIRIS

Admodum Reverendis Clarißimis, Doctißimis

Dn. BERNHARDO DERSCHOVIO S.S. Theolog. Doct. & templi Veteroppid. Regiom. Boruss. Pastori vigilantissimo.

Dn. JOHANNI BUTOVIO, Illustriss. p. m. Pomeranorũ Principis Francisci, olim, nunc verò Illustriss. ejusdem relictæ viduę concionatori Aulico.

Dn. JACOBO FABRICIO Illustriss. Principis Pom. &c. Bugislai XIV. Concionatori Aulico.

Dn. M. JOACHIMO BABBATIO Templi Cathedralis Regiomonti Diacono.

Dn. JOHANNI CRAMERO, Treptovię ad Regam Archidiacono.

Dn. MARTINO BRASCHIO, Pastori Ecclesię Segerensis.

Dn. DAVIDI STRATZIO, Colbergę templi S. Gertrudis Archidiacono.

Dnis suis Fautoribus & Promotoribus, Affinibus & Consobrinis ætatem colendis, hanc Disputationem Theologicam

Offert & dedicat

Respondens.



Disputatio X.

De Justificatione Hominis Coram DEO.

Respondente Davide Hoppio Pom.



Rticulum de *Conversione* & *Regeneratione* Hominis, rectè excipit articulus de *Iustificatione*: *Ille* namq; ordine Naturæ præcedit; *hic* sequitur: juxta *illum* homo ex morte spirituali vivificatur & excitatur; juxta *hunc* vivificatus justificatur: juxta *illum* totus homo nil facit ad sui esse spirituale, nilq; confert: juxta *hunc*, nil quidem de suo confert ad justificationem; apprehendit tamen Justificationis media, eaq; sibi per fidem applicat. Expedito igitur, ac ab erroribus vindicato præcedente Articulo; præsentem legitimâ, ac concinnâ methodo enucleandum & repurgandnm duxêre auctores libelli nostri. Nostrarum quoq; erit partium telam instituti intra consuetos tractationis cancellos persequi.

I. SEDES ARTICULI DE *Justificatione*.

De sumptus ac repetitus est hic articulus ex *Augustanâ Confessione*: ubi in articulo IV. verba sic habent: *Item docent* (Ecclesiæ nostrę magno consensu) *quod homines non poßint justificari coram* DEo *propriis viribus, meritis, ac operibus; sedgratis justificentur propter Christum per fidem, cum credunt, se in gratiam recipi, & peccata remitti propter Christū, qui suâ morte pro nostris peccatis satisfecit.* Hanc *fidem imputat* DEUS *pro justitiâ coram ipso*, Rom: 3. & 4.

Explicatur porrò, ac fusius deducitur hic Articulus *in Apolog:* nec non solidè contra Pontificios defenditur. Differitur ibidem de *causis justificationis*; ex professò verò 1. de *genuina fidei indole*; 2. Ipsius officio &c; de *impossibilitate implendi legem*; de exclusione nostrorum *bonorum operum, ac meritorum* ex *foro justificationis*. Deinde ex *Articulis Smalcaldicis*, & quidem *part. 3. artic.* sub titulo: *Quomodo coram Deo homo justificetur?* Verba articuli sic habent: *Quod de Iustificatione hactenus semper & aßiduè docui; mutare nec in animo possum, videlicet, nos per fidem* (ut *Petrus* loquitur) *aliud novum & mundum cor acquirere, & DEum propter Christum Mediatorem nostrum, nos justos ac sanctos reputare: Et si peccatum in carne nondum planè ablatum, & mortuum est; tamen DEus illud nobis*

non

non vult imputare nec meminisse. Reliqua quæ ſequuntur in ſequentis articuli explicatione recitabuntur.

II. *SVMMA ARTICVLI PROVT in libello noſtro pertractatur*.

Initò proponitur hujus articuli egregia commendatio; *partim* â dignitate, & eminentiâ, quod ſit præcipuus inter reliquos; corpus, & fundameutum totius ſcripturæ S. ; *partim* â neceſſitate, quod ſine eo miſeræ conſcientiæ non poſſint habere certam, firmam & neceſſariam conſolationem ; nec divitias gratiæ Chriſti agnoſcere ; *partim* deniq; ab utilitate, quod totam ſcripturam illuſtret, viam monſtret ad verã agnitionem Chriſti, & ineffabilis ejus theſauri, quem in Chriſto habemus ; & in univerſá Biblia januam aperiat &c.

Deinde recitatur occaſionis ſeries & cauſa impellens inſtitutæ repetitionis, & repurgationis quâ hunc Articulum ; productis in medium Hæreſibus *Pontificiorum*, *Interimiſtarum*, *Majoriſtarum* *Oſiandri*, &c.

Tertiò *Theſis* Orthodoxa proponitur de *Iuſtificatione*, ejusq; cauſæ enumerantur 1. *forinſecùs* movens *Miſeria* humana Eſai. 59. 2 *Internè* movens, *Gratia* DEI Joh. 3. v16. 3. Chriſti *meritum*. Rom. 5 Gal. 4. 4. *Organica* ſeu fides Chriſti meritum ſibi applicans, Rom. 5. &c.

Quartò ſubiicitur *Antitheſeos* refutatio, ac pręcipuè errorum *Oſiandri* & *Papiſtarum*,

III. Explicatio Theseos.

Circa Theſeos orthodoxæ aſſertionem, & explicationem; conſideranda veniunt ſequentia membra: 1. De *Vocabuli* Juſtificationis *Diſtinctione*, & propriâ impræſentiarùm acceptione: 2. De Juſtificationis *Definitione*: 3. De Juſtificationis *Cauſis*: 4. De Juſtificationis propriis *affectionibus*.

De Primo.

Non juvat terminum Juſtificationis laxiore filo diducere; præſtitum hoc jamdudum, idq; ſufficientiſſimè ab aliis; uti videre eſt apud *Dn. Chemnit: part*: 2. *Loc. de Iuſtif. cap.* 3. *f.* 246. ſeq. *Hutter. in L. C. artic.* 13. *de Iuſtificatione f.* 436. *& ſeq.* Meiſner. part. 2. *ſobr. Philoſoph. ſect.* 1. *cap.* 1. quæſt. 28. *pag.* 36. ſeq. Nobis ſufficiat negotium duobus Theorematibus expedivisse.

1. *Iuſtificatio in præſenti articulo ſenſu Forenſi intelligenda.*

Octo circumferentur ſignificationes apud Theologos vocis *Iuſtificationis*: 1. pro *judicii* exercitio 2. *Sam.* 15. *v.* 4. quò pertinet Matth. 11 v. 19. 2. pro *declaratione* Pſ. 51. v. 9. Matth. 12. v. 37. Jacob. 2. v. 21, 24. 3. pro *promotione* ad juſticiam, *informando*, ac *inſtituendo*, Dan 12, v. 3. 4. pro *augmento*, in juſticiâ acquiren-

da

dâ Apoc. 22. v. 11. 5. sensu *comparativo* pro superatione in bono, & malo Ezec. 16. v. 51. c. 25. v. 12. 6. sensu *Pharisajeo* pro sanctitatis arrogantiâ, Luc. 10, v. 29. c. 16. v. 15. c. 18. v. 9. 7. pro *liberatione* Rom. 6. v. 7. & 8. deniq; sensu *forensi*, pro *absolutione* alicujus â criminibus *objectis*, ac pro justo pronunciatione: Quem quidem sensum cumprimis hîc attendimus.

2. *Iustificatio sensu Forensi est* ἔγγραφος, hoc est, *in scripturis S. expresse fundata, insuper quoad literam.*

Tùm in genere ac sensu *communi* Gen. 44 v. 16 Deut. 25 v. 1. 1. Reg. 8. v. 32. Job. 27. v. 5. Ps. 2. v. 3. Prov. 17. v. 15. Esai. 5. v. 23. c. 43. v. 9. 26. c. 50. v. 8. Jer. 3. v. 11.

Tùm in specie quoad præsentem articulum. 1. probatur *Luc.* 18. *v.* 14. *Act.* 13. *v.* 38, 39. *Rom.* 3. *v.* 20, 26. 28. 30. *c.* 4. *v.* 2. 5. *c.* 5. *v.* 1. 9. *c.* 8. *v.* 30, 33. 1. *Cor.* 4. *v.* 4. *Gal.* 2. *v.* 16. *c.* 3. *v.* 8. *c.* 5 *v.* 4. *Tit.* 3. *v.* 7.

2. Probatur â *requisitis actus judicialis*, vel *forensis*; quæ in significationem justificationis in hoc articulo examussim cadunt.

1. *Requisitum* occurrit, nim. *reus* Job. 9. v. 2. 3. Ps. 143. v. 2. Rom. 3. v. 5. 2. *Debitum* vel *peccatum* Matth. 18. v. 24. c. 6. v. 12. 3. *Accusator lex* Rom. 3. v. 20. 4. *Testis* conscientia, Rom. 2. v. 15. 5. *Tribunal* Christi Rom. 14. v. 10. 2. Cor. 5. v. 10. 6. *Advocatus Christus* 1. Joh. 2. v. 1. 7. *Iudex*, Dominus universæ terræ Gen.

18. v. 25. Christus Matth. 25. Joh. 5. v. 27. Act. 10 v. 42. c. 17. 31. 8. *Gratia* vel misericordia Ps. 25. v. 6. 7. & 103. v. 10. 9. *Absolutio* vel remissio peccatorum Ps. 25. v. 11. & 32. v. 1. & 51. v. 2. & seq.

Plura argumenta urgent Dn. *Menzerus* in Exeg *art.* 4. *p.* 267. *seq.* Et disput. 5. *Antipistor:* Thes 9. Item Dn. *Meisner* p. 2. *Sob. Philos. d. l. p.* 340. *seq.*

§. 1. Notandum autem & hoc insuper diligenter fuerit: *Primò* Justificationem hoc sensu forensi, vel judiciali *dupliciter* accipi posse. 1. *Activè*, & tunc significat absolutionem, seu actum ejus, qui absolvit. 2. *Paßivè* & tunc denotat absolutionem, quâ aliquis absolvitur, vel receptionem absolutionis. Sicut & *redemtio* capitur vel pro *actu* redimentis; vel pro *receptione* redemptionis, ejusq; fruitione, pariter de *regeneratione, renovatione & sanctificatione* judicandum. Uterq; autem sensus hic retineri potest.

3. *Deinde* Justificationem esse. 1. aliam *Legalem*, & taliter comparatã, cum homo propter opera secundum legẽ divinam prȩstita in foro justiciæ divinȩ cõnsistit. Talis justicia, uti locum in statu innocentiæ habuit; ita in statu *Gloriæ* habebit: nec est hujus considerationis. 2. aliam *Evangelicam*, qua homo ob violationem legis multiplicem propter DEI gratiam, & Christi meritum fide apprehensum

ſum â culpâ ſeu peccato, & pœnâ abſolvitur. De hac nobis in ſubſequentibus reſtat agendum.

De Secundo.

§. 1. Eſt igitur, *Juſtificatio divina abſolutio eaq; gratuita hominis peccatoris â culpâ, & pœnâ, propter meritum Chriſti fide apprehenſum; ad oſtenſionem Iuſtitiæ Dei & ſalutem æternam hominis.*

2. *Generis* loco ponitur abſolutio ceu terminus in Categoriâ Actionis propior; reſtringitur poſtmodum per cauſas loco differentiæ poſitas: Fit namq; mentio *Efficientis* ipſiùs Dei, ejusq; *Gratiæ*; *Meritoriæ* hoc eſt ſatisfactionis Chriſti; *Organicæ* h.e. fidei. 2. Materialis h.e. hominis peccatoris. 3. *Formalis* quæ conſiſtit in remiſſione gratuitâ reatus & pœnæ, pro peccatis debitæ. 4. *Finalis* & quidem duplicis: 1. Ex *parte Dei*, eſtq; oſtenſio juſtitiæ divinæ. 2. Ex *parte hominis*, eſtq; ſalus ac vita æterna. Singula hæc ſigillatìm ſequenti membro erunt conſideranda.

De Tertio.

§. 1. Inter cauſas Juſtificationis, primum *Efficiens* obtinet locum.

2. Eſt verò *Efficiens alia* Principalis, *alia* minùs Pricipalis.

3. *Principalis* eſt DEus ipſe: is namquè ſolus poteſt remittere peccata Eſai. 43. v. 21. Matt. 9. v. 34. Mar. 2. v. 7.

4. *Movens intùs* est *Gratia* DEI, Rom. 3. v. 24. vel *Misericordia* Eph. 2. v. 4. Tit. 3. v. 5. 1. Pet. 1. v. 3. quæ in Scripturis S. tribuitur omnibus tribus personis: *Patri* quidem Ioh. 3. v. 16. 1. Ioh. 3. v. 1. *Filio* Gal. 2. v. 20 Ephes. 5. 25. *Spiritui* S. Rom. 5. v. 5. 1. Cor. 6. v. 11. 1. Pet. 1. v. 2.

5. Porrò Gratia DEI in hoc articulo denotat *paternum* illum *divini amoris favorem*, ipsamq; *misericordiam*, & *gratuitam acceptionē*: quâ Deus ad miserationem generis humani permotus, omnes per Filium suum redemit, omnibusq; in eundem credentibus, peccata remittit, & vitam æternam donat. Huc spectat εὐδοκία Dei voluntatis Eph. 2. v. 9. 2. Tim. 1. v. 9. *dilectio* vel *caritas* 1. Ioh. 4. v. 9. 10. Rom. 5. v. 8. Eph. 2. v. 4.

Theorema 1. *Gratia* DEI *est causa prima, summa, & sola Iustificationis nostræ coram ipso.* Ratio, DEUS namq; in commiseratione nostri nil aliud quàm se ipsum respexit: nilque præterea in homine: Hinc *gratia in articulo Iustificationis opponitur dignitati, operibus ac meritis nostris.* Luc. 1. v. 78. Esai. 43. v. 25. Dan. 9. v. 18. Rom. 3 v. 24. c. 4. v. 4 5. 16.

2. *Gratia Dei vel Misericordia ceu Iustificationis causa, non est absoluta; sed in Christi merito fundata.*

In præcedenti disput. monuimus *duplicem* esse gratiam Dei, 1. *Absolutam* quæ uti

non

non est Evangelii propria; ita nec in Christi meritò fundata, pertinens ad articulum *creationis*, & providentiæ *Generalis*.

2. Evangelii propriam, adeóq; in Christi *merito* fundatam, pertinentem ad articulum redemtionis, & *justificationis*, quæ etiã in Theoremate â nobis intelligitur, 2. Tim 1. v. 9. Ubi rectè monent Theologi: Misericordiam hîc non considerari respectu *essentialis* principii sui, sic enim *absolutam* nemo negat, Ratio, quia hactenus inter absolutissimum essentiæ divinæ complexum manet: nec foràs ad homines progreditur. Et sicuti DEus ipse est Ens quoddam *absolutißimum*, *purißimum*, & summè *Necessarium*: Ita Misericordia, sic in *actu primo*, & respectu *absoluti principii* sui considerata, est omninò *absoluta*, Longè verò alia ratio Misericordiæ divinæ est, quatenus *actu secundo* foràs ad lapsum genus humanum sese exerit, tunc *absoluta minimè* statuenda erit; sed in Christi merito, ac satisfactione fundata. Ratio, DEus namq; nostri misereri non potuit salvâ justiciâ sua: quippe non tantum Misericors; sed etiam Justus: Ergo flagitabat satisfactionem *tùm* pro culpâ, seu reatu: *tum* pro pœnâ nobis luendâ. Hanc verò Christus sponte in se derivavit, atq; ita sanctè vivendo, & vice nostri moriendo justiciæ divinæ satisfecit; nosq; DEo patri reconciliavit. Esai. 53. v. 4. 2. Cor. 5. v. 18. 19. 21. Hinc demum fa-

ctum,

ctum, quod DEus totius generis humani sit misertus. Spectant huc illa Effata: *Misericordia Dei in opere salutis perficiendo non absolutè; sed determinatè ad Christi λύτρον consideranda: Deus non potuit misereri generis humani lapsi citra intuitum satisfactionis Christi: Miseratio* DEI *in Christi Sanguine nobis est parta:* Gratia *remißionis peccatorū in Sanguine Christi fundata est:* Nulla *voluntas vel Misericordia respectu hominum fuit absoluta in Deo:* DEVS *omnium hominum est misertus non quatenus erant peccatores;* sed *quatenus Sanguine Filii* DEI *sunt redemti, & Deo reconciliati: Dilectio Dei ordinata præsupponit irā ipsius:* vel, *dilectio in Deo non potuit habere locum priusquam iræ, vel justiciæ Dei fuisset satisfactum.*

Reliqua, quæ de Gratia Dei heîc dici possent, expedivimus Disp. 9. de causa intus movente DEum ad conversionem hominis.

6. *Altera* porrò causa Iustificationis est *Satisfactio* & *Meritum* Christi, de quo ex professo egimus, Disp. 5. circa officium Christi Sacerdotale. Notentur solummodò paraleipomena *Theoremata.*

1. *Satisfactio Christi excludit solutionem debiti respectu nostri: non vero miserationem* DEI. Ratio illius, quia solutio non exigitur â nobis: hujus autem ratio est, quia hoc pacto DEus sibi ipsi satisfecit; id quod est misericordiæ opus, *tùm* sibi ipsi satisfacere: *tùm* propter hanc satisfactionem nobis gratis remit-

tere

tere peccata per fidem in ſanguine Chriſti Rom.3. v.24,25. Ubi tenendum, quod Filius Dei, juſticiæ patris ſatisfaciendo, etiam *ſuæmet* ſatisfecerit; Ratio, *Eſt enim una & eadem* Dei *juſticia eſſentialis.*

2. *Satisfactio non eſt contraria remiſſioni:* Ratio, quia non exigitur ab iis, quibus peccata remittuntur: ſed eis donatur aliena ſatisfactio, & ſic condemnantur peccata. Condonatio autem illa eſt *reſpectu noſtri gratuita:* quippe non â noſtro merito profluens: reſpectu DEI verò *non eſt gratuita:* is namq; Chriſti Satisfactionem loco meriti intuetur. Eſſet verò ſatisfactio remiſſioni contraria, ſi tùm ſatisfactio; tùm remiſſio in uno eodemq; ſubjecto fuerit conſiderata.

3. *Satisfactio quoad meritum peracta fuit actu tranſitorio in terris; quoad applicationem peragitur in æternum in cœlis.* De illâ loquitur Spiritus S. 1. Pet. 2. v. 24. De *hac* verò Rom. 8. v. 24.

4. *Satisfactio reſpectu ſui pertinet ad legem: reſpectu finis verò ad Evangelium.* Ratio illius, *quia* juſtitia Legalis eam exigebat; hujus verò; *quia* involvit Miſericordiam divinam.

5. *Satisfactio Chriſti eſt cauſa Iuſtificationis ſolitaria, plenaria, perfecta, omnibusq; numeris abſoluta.* 1. Ratione *ſubjecti*, pro quo, aut cujus vice, ac loco præſtita: quod eſt univerſum genus humanum. 2. *Objecti*, qualia ſunt omnia peccata tùm orginale, tùm actualia Tit. 2. v. 14

2. Omnes

2. *Omnes* inimici nostri Luc.1.v.71. manus *omnium*, qui oderunt nos v. 74. 3. *Maledictio* legis Gal.4.v.5. 4. *Servitus* & metus *mortis* Heb.2. v.14.15. 5. *Diabolus* ibid. 6. *Infernus*, Ose.13.v.14. 7. æterna *damnatio* Rom.5.v.9. 1. Thess.1. v.10.

7. *Porrò* Satisfactionem Christi statuimus causam *solitariam*, intellige in suo *genere*, non exclusis aliis subordinatis: id quod etiã de *fide* verum inferiùs apparebit: 2. in *collatione* ad nostra merita & bona opera; hæc namq; ex actu Iustificationis coram Deo prorsùs excluduntur, Esai.63. Eph.2.v.13.

8. *Forinsecùs* movens causa eaq; *minùs* principalis est homnium *Miseria*; de qua vide præced. Disput.

9. Causa Efficiens *organica* Iustificationis est *duplex*. 1 Ex *parte* DEI: 2. Ex *parte hominis*.

10. Organica ex *parte* Dei est vel *offerens*; vel *obsignans*.

11. *Offerens* est Verbũ DEI, & quidẽ audibile. Egimus de hoc disput. præcedent. Unde etiã repeti potest. Hoc unicum addimus, & monemus θεωρηματικῶς: *Mentione verbi Dei â nobis intelligi Evangelium*. Quo nomine excludimus. 1. legem in propriâ & genuinâ significatione: 2. reliquas Verbi divini particulas in codice sacro comprehensas: ac proinde intelligimus *solùm Evangelium* specificè *sic* dictũ; in quo 1. Gratia, vel Misericordia Dei, omnibu

bu

bus ex æquo offertur: 2. Beneficia Christi merito acquisita omnib9 ex æquo promittuntur ac proponuntur: 3. per quod virtute Spiritus S. *fides* justificans in homine accenditur. Rom. 1.v.16.c.10v.8. 1.Pet.1.v.23. 1.Ioh.3.v.9. 4. per quod *salvamur*. 1. Cor.15.v.2. Jacob.1. v.21. Et quod Evangelium non solum sit fidei *objectum*; sed etiam efficiens organica, ut supra Disput. 7. indicatum fuit, & Disput.9.

12. *Obsignans organica* est utrumq; *Sacramentum tùm* Initiationis; *tùm* confirmationis, h. e. Baptismus & Cœna Domini· de utroq; supra Disp. 9 & inferius ex professò:

13. Ex *parte homis* causa *organica* est Fides in Christum.

Cur autem organon exparte hominum dicatur, ratio hæc est quia nullum aliud nobis relictum est medium divinitùs, Gratiam Dei, & Christi meritum in Verbo & Sacramentis oblatum apprehendens, sibiq; applicans, pręter fidem salvificam.

Cæterum fidei naturam, & indolem fusius expendere ratio instituti nostri nos vetat: pręsertim cum hoc operoso labore nos sublevarit Dn. *Meisnerus* in aliquot suis de Fide *Disertationibus* eruditissimis: quo etiã lectorem remitto. *Breviter*, & hoc pro instituto nostro ritè pertractando addimus; nos hîc non intelligere *fidem qualitercunq; acceptam*; sed Fidem *in Christum* vel *salvificam*, quam sic cum Dno. Huttero in L. C describere poterimus: 14. Fi-

14. *Fides justificans est tùm certa noticia, & firmus assensus Verbi Divini: tùm invicta, ac singularis fiducia in misericordiam Dei, certò statuens, gratis remitti peccata, per & propter Christum Mediatorem omnibus in ipsum credentibus.* Vel cum Dn. Menzero in *Exeges. art. 4. p. 175.* *Fides justificans est ex agnitâ divini verbi veritate per spiritũ S. divinæ gratiæ seu misericordiæ per Christum redemtorem, in promißionne Evangelicâ fiducialis apprehensio ad vitam æternam.* Confer. Disput. 5. *Antipistor* Thes. 88. & seq.

15. Subiiciemus dilucidioris explicationis causâ, Fidei salvificę *affectiones* nonnullas.

1. *Fides salvifica est lumen in intellectu accensum, & fiducia in corde:*

Tres vulgo fidei actus, seu partes statuuntur. 1. *Noticia* vel agnitiò rerum mysticarum in verbo Dei propositarum, & patefactarum: 2. *Assensus*, quo objecta divinitùs patefacta h.e. in Verbo Dei homo apprehendit, iisq; ceu verissimis assentitur: 3. *Fiducia.* Duorũ illorũ actuũ priorum respectu pertinet fides ad intellectum: cui etiam sic inest: *tertii* ratione pertinet ad *cor & voluntatem*, Actor cap. 8. v. 37. Rom. 10. 6. 8. 9. 10. quia fiducia potius sub affectꝰ erga promissiones gratię; quã notitię generẽ comprehenditur: hinc etiã fides vocari meruit πληροφορίας Rom. 4. v. 21. πεποίθησις 2. Cor. 4. Phi. 3. v. 3. παῤῥησία 1. Ioh. 2. v. 8. ὑπόστασις Heb. 11. v. 1. Natum hinc Effatum : Fides justifican

justificans propriè est in intellectu practio : *Fides in voluntate est* ἐνεργητικῶς.

2. *Fides est rerum præsentium, non quod videantur, tangantur, vel audiantur, sed quatenus Verbo & sacramentis offeruntur* : *Et quatenus certâ fiduciâ cordis apprehenduntur*. Quo nomine Fides *â spe* differt; Hæc enim est rerum futurarum.

3. *Fides totum* DEI *Verbum habet pro peripheriâ, vel circumferentiâ; Christum verò pro centro*. Duplex nam est fidei *objectum*. 1. *Generale*, quod est omne Dei Verbum, omnis promissio divina. 2. *Speciale*, vel *singulare*, quod est promissio *Gratiæ in Evangelio oblata*, de *remißione peccatorum*, *per & propter Christum*. Ratione *prioris* fides non justificat, quippe 1. duobus solummodò actibus constans. 1. *notitiâ*. 2. *assensu*. 2. quia sic considerata est *communis* piis, & impiis: immo insuper in ipsum cadit *Diabolum*, Iacob. 2. v. 19: Ratione *posterioris* fides pertinet ad articulum *Iustificationis*, sicq; justificat, ceu *firma fiducia* in merito Christi unice & indubitatò acquiescens, Rom. 4. v. 23. 24. 25. Pertinet huc illud Theologorum effatum : *Fides est necessaria in fide*. Hoc sensu, quod in una, eademq; fide *duplex* occultetur *fides* : *una* quâ credamus, *altera*, quam credamus: per *hanc* intelligitur omne Dei Verbū seu omnia divini Vebi dogmata; Ubi requiritur *assensus*, præsuppositâ *noticiâ* : per *illam* intelligitur *tùm* πληροφορία ; *tùm* πεποίθησις seu

fiducia justificans: unde etiam vocatur *fides Christi*, Gal.3 v.12. *Illo* respectu â nonnullis fides consideratur *absolutè*; hoc verò *relatè*: *Illi* opponitur *ignorantia, dubitatio, negatio* &c. *huic* opponitur *diffidentia* de Dei Gratiâ, & *incredulitas* καὶ' ἐξοχήν.

4. *Fides salvifica non in solos Electos; verū etiam in reprobos cadit.* Dicitur quidem fides esse electorum Tit.1.v.1. sed nō tantum: quia ibidem v. 4 dicitur communis 2.Pet.1.v.1.sicut & *salus*, ex Dei intentione, *Judæ* v.3. ideq; fidei *Spiritus* 2. Cor.4.v.13. Confer Luc.8.v.12.13.14. Heb.6.v.4.5.

5 *Fides corda purificat.* Act 15v.9. non *inchoativè*, sed *plenè*: in foro Dei non sub ratione *meriti*; sed *objecti*; hoc est quatenus includit Christum ceu annulus pretiosissimam gemmam v. g. Hæmatidem; Ubi annulo tali tribuitur effectus sistendi sanguinem, nim. ob inclusum hæmatidem: Ita fidei tribuitur effectus purificandi corda nostra ob Christū fidei palæ, vel perpheriæ inclusum.

6. *Fides sola justificat.* Hoc sensu enunciatum axioma â nostratibus Theologis fusius est deductum, & evictum contra *Pontificios*. Vide Dn. *Menzer*. Exeg. p.178. seq. Dn. *Meisner*. Anthropol. Decad. 3. Disp.28.Thes. 57. seq. *part. sobr.Philosoph.*sect.2. c.2.*quæst.*11.p.960 sequēt.

Fundamentum hujus effati extat Marc.5. v. 36 Luc.8.v.50. Gal.2.v.16. Rom.3.v. 27.28. c.4.v.5. 6. 16. Gal.3. v.12. Ephes.2.v.9. Ubi

notan-

notandum : 1. *Fidem solam justificare*, non prout est *habitus*, vel *Qualitas*, vel *paßio*, aut *actio* quædam in nobis ; sed quatenus ei *adhæret relatio*, & *quatenus per eam Christo unimur* ; vel quatenus est ut *actus* & *exercitiū* illius habitus. *Deinde* fidem *solam* justificare, non tamen *solam existere*: Est namq; bonis operibus stipata, & instructa : sicut auris non est, vel existit sola : *sola* tamen audit; ut & oculus solus non existit; *solus* tamen videt. *Deniq*; fidem solam justificare *instrumentaliter*, non *principaliter*: 2. in respectu *ad bona opera*, & merita nostra (quæ in foro Dei excluduntur.) 3. *quia sola in Dei* Gratiam, Christiq; meritum recumbit. Dicitur hinc fides *instrumentum Spiritus S.* per quod Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur; 2. *manus apprehensiva*, & *adjudicativa* : ideo quod Christum Jesum in Evangelio nobis oblatum hac manu apprehendamus, applicemus & nobis adjudicemus: unde sequitur παῤῥησία *libertas*, πεποίθησις *confidentia*, vel *fiducia* ad Deum, προσαγωγή *aditus* ad Deum, Ephes.3. v.12. Rom.5. v.2. c.8.v.38. 2.Cor. 3. v.4 Heb.4.v.16.

7. *Fides Iustificans est fons, & origo omnium Christianarum virtutum*: quia in nobis parit *spem*, *caritatem*, *patientiam* &c. & reliqua bona Gal.5. v. 5.22.

8. *Fides salvifica arctißimo vinculo connectitur cum adeptione nostri in filios Dei*. Rom.8.v.15.

Gal. 4. v. 6. ob commendationem nostri apud Deum per Christum Rom. 5. v. 1. c. 14. v. 23. Heb. 11. v. 6.

9. *Fides salvifica est vita animæ nostræ*, Rom. 1. v. 17. Heb. 2. 3 8. Gal. 3. v. 11. ex Habac 1. v. 4. non enim tantum *semper viva* ratione fructuũ; sed animam nostram vivificat *spiritualiter*; eamq; *sustentat*, penem cœlestem vitæ apprehendendo eundem manducando & digerendo hoc est. sibi applicando, Ioh. 6. v. 27, 29. 33. 36, 48, 50. &. Hinc *fides* dicitur animæ nostræ *os, lingua, dentes stomachus* &c. item *anima animæ, ratio rationis* &c,

10. *Fides salvifica est victoria, & gloria nostra*: Vincit enim *invincibilem* DEum Matth. 15. v. 28. hostes nostros superat, ac de illis triumphat, ceu sunt *Diabolus, mundus caro & ipsa mors*, Ioh. 5. v. 4. Heb. 2. v. 11. 33. seq. *per fidem* insuper gloriamur Rom. 5. v. 3. Heb. 3. v. 6.

11. *Fides salvifica admittit gradus, habens sua incrementa & decrementa*: non est enim in omnibus fidelibus perfecta; sed imperfecta *tam intensivè, quam extensivè* hoc est ratione rerum promissarum & fiduciæ. Rom. 12. v. 3. Matt. 8. v. 10 c. 15, 28. Marc. 9. v. 24. Ita tamen ut ejus *essentia* maneat, & *vis* justificandi, etiam in gradu exiguo constituta.

12. *Fides salvifica ex thesi facit hypothesin*. Est namq; affectus applicans promissionem gratiæ ad Individuum; & non ad specim tantũ.

Et quia fiducia propriè denotat applicationē alicuius boni ad eum, qui confidit: Hinc qui verâ fiduciâ erga Deum est præditus; satisfactionem Christi sibi propriam facit: Alias enim Iustificatio seu Absolutio à peccato per satisfactionem Christi nulla posset fieri: natum hinc illud Effatum: *Omnes fidei conclusiones sunt singulares, & particulares*: adeo ut fidelis vel credens certò statuat Christum *esse suum Mediatorem*, unà cum omnibus beneficiis, quę ab ipso ceu capite ac fonte in membra profluunt ac dimanant.

13. *Fides salvifica potest extingui, & penitus excuti per peccata mortalia contra conscientiam perpetrata.* Luc.8.v.13. Rom.8.v.13. c.11.v.20 Gal 5.v.4. 1.Tim.1.v.5.6.19.c.4.v.1.c.6.v.10. Heb. 6.v.4.5.6. 2. Pet.1.v.9. c.2.v.20.21 Apoc.2, v.4.5. Exemplo *Davidis, Saulis, Iudæ, Hymenæi*, & *Phileti*. &c.

14. *Fides salvifica desinet in futurâ vitâ* 1.Cor. 13.v.8. Ratio quia desinet ejus objectum, *prædicatio Evangelii*; ibi etiam spes desinet, ceu bonorum futurorum.

15. Hæc axiomata de fide salvifica sufficiant: plura videri poterunt apud Dn. *Meisnerum* in disput. peculiari de fidei propriis affectionibus & effectis.

16. Satis de *Efficiente*: *Materia* vel *subjectum* Iustificationis est homo *peccator* non tantum *Electus* ab æterno, sed etiam *reprobus*; contin-

git namq; & talem uti in Christum fiduciâ verâ & salvificâ; ita etiã justificari, regenerari, & renovari. Subjectum namquè regenerationis conversionis & justificationis æquè latè patet. Confer. Disp. 9.

17. *Formalis* causa Iustificationis est *remissio culpæ orginalis, & actualis; & imputatio Satisfactionis & meriti â Christo præstiti, in foro judicii divini.* Duò in Iustificatione concurrunt termini *unus* privativus mali, h. e. res, quæ in homine existit, ac ei imputari deberet; & consistit, *tùm* in *oblivione*, & non annunciatione peccati; *tùm* in *dimissione* reatus culpæ orginalis & actualis: *Alter positivus* boni h. e. *Imputatio* Iustitiæ & obedientiæ, vel meriti Christi: quæ res in homine non existit, quamq; minimè promeriti sumus; pro justis tamen, & sanctis hominibus â Deo reputamur. Hinc ob *terminum privativum* dicitur *imputatio negata*; ob *positivum affirmata*: *Vtriusq;* verò termini complexi absolvitur *causa formalis* Iustificationis nostræ: *unico* autem termino justitiæ imputativæ â Theologis effertur. Ubi & hoc monendum est, duos istos terminos â quibusdam statui *partes* formalis causæ distinctas; id quod admitti poterit, dummodò *partes* non intelligantur *propriæ*, ac *realiter distinctæ*: potiùs statuenda *distinctio* quædam *rationis* ob terminos, â *quo* & ad *quem* & affectum *duplicem* causæ formalis; ita ut *Deum alterum* includat, vel

plo;

præsupponat. Declarari hoc potest *simili* exemplo: sic orto sole, tenebræ ac nox atra dispelluntur: Et vice versâ, tenebris discussis, noctéq; depulsâ; dies certò illucescit. Heîc *unum* duntaxat ponitur duobus intellectis, ut & minimè expressis. Pariter in Justificationis formali causâ; impius justus pronunciatur per remissionem peccatorum; adeoq; justitia Christi imputata intelligitur: quia sine hac justus reputari non posset: Et *contrà*: Ubi homo justus pronunciatur propter imputatam Iusticiam Christi; statim præsupponitur remissio peccatorum, quia sine eâ justus reputari non potuit. Probatur nostra sententia Dan 9. v. 24. Gal. c. 2. v. 19. c. 3. v. 22. Ubi sit mentio termini à *quo* & ad *quem*. Rationibus etiam evincitur evidentibus à Domino Hutter in L. C. articul. 13. f. 475. A. B.

18. Theoremata: 1. *In actu Iustificationis imputatur homini peccatori Iusticia Christi nō essentialis;* sed *acquisita obedientiæ meritis*, Rom. 5. v. 19.

2. *Imputatio illa justiciæ Christi: & non imputatio peccati est gratuita:* *Duplicis* imputationis sit in sacris mentio: *Vnius* quæ sit secundum *debitum; alterius* quæ secundum gratiam: in actu *Iustificationis* imputatur nobis justicia Christi secundum *gratiam*; non *debitum* Rom. 4. v. 4, 5. exemplo *Abrahami* & *Davidis*.

3. *Imputatio Obedientiæ Christi, & non imputatio peccati est rationalis.* Hoc est, per non imputa-

putationem peccatorm haut intelligitur realis amotio, deletio, vel abolitio peccatorum; sed tantum *rationalis*: sic etiam per imputationem Iusticiæ, vel obedientiæ Christi, intelligenda erit *tansscriptio* ejusdem *rationalis*, vel *translatio per imputationem facta*; ita ut justicia Christi in credenten transcribatur, sicut injusticia nostra à Deo in Christum transscripta est.

4. **Imputatio talis fundamentum ac sedem habet in mente, & voluntate divinâ.**

5. **Imputatio hæc est maximi momenti** (non verò res minimæ Entitatis) 1. ob *fundamentum*, quale est *obedientia*, & *meritum* Christi. 2. ob *terminum*, qualis est persona credens, cui peccata non imputantur, ea verò justa reputatur coram Deo. 3. ob *Rationem*, quæ est *Gratia*, & *misericordia* Dei vel *acceptatio* personæ credentis in gratiam Dei, proter imputatam Christi obedientiam, & satisfactionem. 4. ob *effectum præstantißimum*, nim. consolationem firmissimam, quam conscientiis consternatis & afflictis suppeditat: Nam cum vel sanctissimi de propria justitia nil solatii & auxilii sibi polliceri possint, ob luctam carnis & spiritus; ob peccata varia, & lapsus ad minimum inopinatos: utiq; confugiant necesse est ad alienæ, hoc est Christi justitiæ imputationē, hocq; pacto solatium inde hauriant. 5. ob *defectum* alterius medii, quod ho-

minibus

minibus post lapsum in integrum restituendis prodesset: quod argumentum egregiè deducit Do*Hutter.* p.m. d. loco. f. 476. A.

Finalis causa *Iustificationis* est 1. Ex *parte Dei* ostensio justitiæ ejusdem Rom. 3. v. 25. (intellige justitiam Dei *distributivam*, & *judiciariam*, vel *legalem*: quâ bonis benè, & malis malè facit; ejus effectus est, ut suum cuiq; tribuatur; impii puniantur; pii præmiis afficiantur. Rom. 1. v. 32. c. 2. v. 5. c. 3. v. 5. 2. Thess. 1. v. 5. 6. &c. ac *ultimus* gloria Dei. 2. Ex *parte hominis salus*, ac vita æterna Ioh. 3. v. 16. Rom. 1. v. 16. c. 6. v. 22. Tit. 3. v. 7. 1. Pet. 1. v. 5.

De Quarto, adeoq; de *Justificationis Affectionibus*

1. *Iustificatio est articulus stantis, & cadentis Ecclesiæ.* *Luther* in præfat. super Gal. in Commentar. Ubi namq; hic articulus incorruptus retinetur: ibi stare Eccesiam; ubi verò depravatus mendis populo obtruditur; ibi cadere Ecclesiam certum est. Vide pro explicatione uberiori hujus axiomatis verba *libelli nostri* statim in limine, &c.

2. *Iustificatio est omnibus temporibus una & eadem*: quia iisdem causis perpetuò constabat, & iisdem hodieq; absovitur, Act. 4. v. 12. c. 15. v. 11.

3. *Iustificatio est actus individuus, impartibilis, ac simul totus*: non fit enim *successivè* per

certa initia, ac progressus ; sed *simul*, ac in *instanti* omnes suos actus impartibiles ac totales prærequirit, quibus etiam absolvitur : Patet *præterea* ex hoc axiomate: ex lege Morali nullam esse justificationem hominibus in Ecclesiâ militante sperandam:ratio quia justificatio uti est *actus impartibilis* & *simul* totus ; ita requirit â nobis *interruptam* ac *impartibilem obedientiam* erga legẽ, ex toto corde ; extotâ animâ, & ex totis viribus : ubi verò vel in uno præcepto quispiam prævaricatus fuetit ; eo momento totam legis justificationem evertit, fitq; omnium prȩceptorum reus, Iacob.2.v.10. Deniq; inde discrimen inter *Iustificationem*, & *sanctificationem*, vel *renovationem* luculentũ desumi poterit : hæc enim percertos gradus, certa initia, & incrementa de die in diem perficitur.

4. *Iustificatio fit tantum semel in hac vitâ.* Intellige *directe* & *essentialter* : aliàs etiam justificatio sæpius restauratur, & renovatur quoties homo â peccatis resurgit & resipiscit.

5. *In actu Iustificationis homini obtingit* 1. â peccatis *absolutio*. 2. pro *justo reputacio* & *pronunciatio*; 3. *præmiorum* quæ justis debentur, *largitio* : 4. in filium Dei *adoptio*; Ioh.1.v.13. Rom.8.v.1 14.15. Ephes.1.v.5. Gal.4.v.5. 5. *pax conscientiæ*. Rom. 5.v.1. Ephes.4.v.7. 6. *fiducia* de exauditione precum, Rom. 8. v. 15. 7. *patientia*, & *tolerentia* in cruce Rom. 5. v.2.3. c.8.v.28,35.37. &c.

IV. E-

IV. ENUMERATIO Antitheseos.

Veteres errores recenset Dn. *Chemnit. part.* 2. L. *de Iustifi.* c. 1. ac dispescit, quod *alii* fuerunt sub V. *testamento*, *tùm* ante *diluvium* in Synagogâ *Cainitarum*; *tùm* posteà annis fermè centum, sub *Serug*, teste *Ireneo:* sub *Thare;* imò in sanctorum generatione, doctrina de justificatione fuit variis modis obfuscata, & extincta usq; ad tempora *Abrahæ*: ut & in servitute *Ægyptiaca*, nec non post laxationem ejusdem in deserto 2. Cor. 3. v. 14. *Insuper* tempore Prophetarum *tergeminam* de articulo justificationis fuisse corruptelam, eruditè annotavit *Chemnit.* d. l. f. 236. B. Alii autem erant *sub N. Test. partim* tempore *Christi*, & *Apostolorum:* utpote *Phariseorum*, Luc. 18. v. 9. *Scribarum* Mat. 9. v. 3. c. 19. v. 20. Luc. 10. 29. c. 18. v. 11, 12. Act. 15. v. 1. *Pseudo Apostolorum* Gal. 2. v. 4. seq. c. 5. v. 1. seq. Philip. 3. v. 2. seq. *partim* post Christi, ut & Apostolorum tempora, utpote 1. *Ebionis* & *Cerinthi*, negantium: Christum fide apprehensum sufficere homini ad justiciam, & salutem citra opera legis. 2. *Simonis Magi*, justificationem, & salutem ex gratiâ per agnitionem suę Helenæ promittentis, licentiamq; peccandi hominibus liberrimâ permittentis. 3. *Carpocratis*, & *Basilidis*, libidinem *tùm* licitam promiscuè; *tùm necessariam* ad salutem

statu-

statuentis. 4. *Gnosticorum* docentium, *fide*, ut *qualitate* justificari: *fidem* non posse excuti malis operibus, 5. *Manichæorum*, negantium per fidem in Christum homines salvari. 6. *Valentinianorum*, quosdam homines *naturâ salvari*, somnientium; 7. *Apellitarum* omnes sectas rectè ambulare, & salvari, delirantium. Refutarunt autem furores hosce & id genus alios potius, quàm errrores; *Irenæus*, *Tertullianus*, *Clem. Euseb. Epiphanius*, &c.

V. De Erroribus renovatis.

Libellus noster mentionem facit solummodò hæreseos *Papistarum Interimistarum*, *Majoristarum*, & *Osiandri*: quippe illo tempore in Ecclesiâ agitatæ: quia verò progessu temporis præsentem locum enormiter depravarunt *Calviniani*, & *Photiniani*: utiq; insuper utrique in medium producendi.

I.

Errores *Pontificiorum* methodicè collegit in unum fasciculum Dn. *Mentzerus* in Exeges. A.C. *art.* 4. *memb.* 5. p.m. 182. quò etiam lectorem brevitatis gratiâ, remitto: Huc etiam revocari suo merito potest error *Interimisticus*.

II.

Majoristarum error abundè sat repertus confutatus *in Form. Concord. art.* 3. *in* Antithes. *memb.* 11. quod sic habet: *repudiamus ergo, et damn*

[d]amnamus hoc dogma: Fidem non justificare sine [b]onis operibus: Itaq; *bona opera necessario ad Ju[s]titiam requiri*, & *absq; eorum præsentia hominem [j]ustificari non posse*: & artic. 4 Antith memb. 1. & in declarat. fusius.

III.

Osiandri Schisma, & errorem *plenariè* [s]atis recensent auctores libelli nostri *primò* extra quæstionis aleam collocando: 1. num *ad remißionem peccatorum opus nobis* sit *gratia Dei in merito Christi*? 2. Num *DEus sit essentialis Iusticia*? 3 *Num illa in credentibus habitet, & operetur, ut incipiant justè agere*? 4. An *neces[s]arium sit ut in homine sequatur renovatio, postquā fide justificatus* est? Omnium harum affirmativam concedebat ultrò *Osiander*. *Deinde* genui*num* Quæstionis *statum* formando: *Quænam sit vera æterna justitia peccatoris coram Deo ad salutem, & vitam æternam*. de quâ Rom. 3. & 4. quæ aliàs vocatur *justicia Dei*, seu *justitia fidei*? Ubi *Osiandri* responsio profertur *partim remotiva*: 1. Quod talis *justitia non sit Christus verus Deus*, & *homo in suo merito*: 2. nec sit *gratuitò imputata*: 3. nec sit *impletio legis in Christo præstita*: 4. nec remissio *peccatorum*, vel *gratuita acceptio* indigni, & perditi peccatoris ad vitam æternam propter Christum: quo nomine perstringebat *Augustanam Confeßionem*, ejusq; *addictos* omnes vocat *proditoris Iudæ consortes*: â *Diabolo* fascinatos, & agitatos; imò esse

esse *canes, sues & vulpes*, qui verbum Dei abjurarint: *partim assertiva, & positiva*: justiciam in hoc articulo, quæ sit ad salutem & vitam æternã, esse, *probitatẽ*, in *quâ & sub qua omnes aliæ virtutes, intelligantur & comprehendantur* si quis autem quærat; quid sit justitia illa vel probitas? Respondet *Osiander*. 2. Iusticiam esse *illud*, quod *justum inclinet, & moveat ad justè agendum*; sine quo nec *justus* esse, nec *justè* agere potest: imò quod amplius est, quo Christus *sanctißimam suam humanitatem justificavit*.

3. Hanc *justiciam esse Deum ipsum, aut essentiam Dei*. 4. *Christum secundum divinam naturam esse nostram justiciam*, & non *secundum humanam naturam*. 5. *Iustificare* nihil aliud esse, quam *reipsâ* aut *ipso facto justum facere*; justiciam *influere*; justiciam *infundere*; peccatũ *mortificare, expurgare*, & prorsus *delere*: uti citatur sententia hæc ex aliquot Osiandri tractationibus: v. g. *Confess.* Smäckbier. *Refutat*: Nachtraben; *concione super cap*. 6. Rom.

Docuit ita Osiander heîc *Regiomonti* Anno 1549. præsertim Anno 1550. in templo *Palæopolitano*, & *Acdemiâ nostrâ*; institutâ publicâ disputatione (anni prædicti) 24. *Octobr.* cui etiam Dux *Prußiæ* Celsiss. *Albertus* p. m. interat: applausumq; *Osiandro* dederat; ac eo tẽpore in ipsius nassam abreptus (aliquandiuq; detentus, tandem verò Dei gratiâ liberatus) sententiamq; suam *Osiander* scribtis divulgatis

supra

supra commemoratis accerrimè defenderat. Insuper adstipulatores opinionis suæ nactus quamplurimos, nempe *Iohannem Funccium Diacon. Veteroppidan; Matthæum Vogelium* Pastorem Cneiphovianum; M. *Iohannem Seiurum* Professor: ut & *Isinderum, Epiinum, Andream Aurifabrum.* &c.

Illud verò ante omnia sciendùm: Osiandrũ non hic *Regiomonti* primùm sed dudùm *Noribergæ* talia dogmata inculcasse: testantur hoc ipsum aliquot tractatus *Norībergæ* ab *Osiandro* conscripti; ibidemq; senatui exhibiti: *Anno Christi* 1525, & postmodùm heîc *Regiomonti* divulgati Anno 1553: inter alios quidam hoc circunfertur sub titulo **Handlung eines Ersamen Weisen Raths zu Nürenberg mit jhren *Prædicanten*/ geschehen** M. D. XXV. ubi ad articul. 3. *Osiander* sensu per omnia Hæretico de Iustificatione responsionem suppeditasse deprehenditur: *Alter* ita inscribitur: **Ein gut vnterricht/vnd getrewer Rathschlag ꝛc an einen Erbahrẽ Weisen Rath zu Nürnberg.** Anno M. D. XXV. Vbi circa Quæstionem: **Warumb Gottes Wort ist Mensch worden?** hæresin suam manifestè prodidit *de Iustificat.* hanc fieri per *essentialem Dei justiciam in nobis habitantem*: cui quidem sententiæ alii *Osiandri* Symmystæ, Dominicus *Schleupnerus*, & *Thomas Venatorius* subscripsêre. Testatus idipsum

quoq;

quoq; erat Dn. *Lutherus*: is enim audito pro concione, *Osiandro*, pronunciavit fatidico spiritu *Osiandrum nimis alte sapere, ac verendum esse, ne quando Osiander Ecclesiæ opinione sua valde suspectâ de justificat: articulo officiat*. Non ausus tamen erat idipsum scriptis suis attentare, in vivis superstite B. *Luthero*; donec tandem resignato officio suo *Norbergæ* declinandi *Memxycum* illum Cothurnum (Interim cognominem) studio, Anno 1548. *primū. Vratislaviam*; *postmodum* inde à *Duce Celss.* p. m. *Alberto* evocatus huc *Regiomontum* deveniret: hujusq; erroris reus â Frideribo Staphylo tùm temporis Profess. nostræ Academ. apud Principem per literas ex Germania (quo ob pestem in Borussia grassantem secesseret) missas accerseretur: ex cujus jussu & mandato disputationem illam commemoratam, indicato loco, & tempore exhibere necessum habuerat.

Cæterùm errorem *Osiandri* impugnabant quamplurimi in Borussiia; imprimimis *Mörlinus*, Hegemon; *Venetus* ut & *Chemnitius* noster; extra *Borußiam* verò Nicol. Gallus, *Valentinus Curtius*, *Paulus ab Eitzen*, *Westphalus*, *Kittelius*, *Heshusius* circa Anno 1560. & ultra: *Musæus*, *Autumnus*, *Rosinus* &c. circa *Anno* 1567. & *postmodùm* damnarunt eundem auctores *For: Coniord.* Anno 1580. arti: 3. inq; ejus declaratione. Unde etiam refutationem sufficientem lector petere poterit. Videatur insuper

per

per *Confeßio*, & declaratio *Theologorum* Wi-tebergensium, Brentii & *aliorum*, de præsenti articulo: commemorato Duci huc Regiomontum transmissa, Anno 1553. *mense Aprili*, & postmodùm typis divulgata Anno 1554. 27 *Septembr* per *Iohan. Daubman*: nec non publico Principis decreto, ac mandato in omnes Ecclesias & Scholas introducta, & ceu pia, & orthodoxa recepta; *eodem Ann*: 24. Septemb: Verba illius dicti sic inter cætera sonant: Befehlen wir derhalben hiemit ernstlich gebietend/ allen vnd jeden vnsern Pfarherrn das sie forthin der Wittenbergischen Kirchen Confession, *Declaration*, vnd deroselbigen lehr sich gemes verhalten. Sintemahl dieser handel von der Rechtfertigung so in vnsern Landen erstanden/ darinen grundlich explicirt wird/ vnd der Augspurgischen Confession gantz vnd gar nicht zu wieder &c. &c. Atq; hic Error præcipuè ansam pientissimo illi principi suppeditavit, progressu temporis nonnullos articulos in nostro *libello* repetendi & repurgandi.

IV.

Stancari, Justificationem nostram Christo, secundum solam humanitatem adscribentis. Contra *Tigurinos*, in Apolog: contra

Osiandri de officio Mediator. libr. de *vera Concord* *Confess. fidei Anno* 1551. seq. Errorem autem suum Stancarus hauserat ex *Lombard. lib.* 3. *dist.* 19. & *Scholasticis Thom. part.* 3. *Quæst.* 26. *artic.* 2. *Bonaventurâ*, art. 2. Quæst. ulti. Asseclas habuit nonnullos in Poloniâ præsertim *Andream Friccium Moderovium*, Secretarium Regium, uti ex libris ipsius de Mediatore videre est, qui in publicam emissi lucem An. 1562. refutati verò â *Wigando. Stançari* autem Hæresin multi impugnabant, *Philipp. Melanchthon, Morlinus, Wigandus, Tigurini, Casparus Heltus, Nicolaus Gallus, Confess. Geran.* &c.

Ubi non silentio prætereundum, Pontificios utrobiq; cum *Osiandro* & *Stancaro* ex æquo facere. Cum *Osiandro* quidem formalem Iustificationis causam in justitia Dei nobis infusâ & inhærente consistere, statuentes; ita concilium. *Tridentin. Sess.* 6. *cap.* 7. *Bellarm. lib.* 2. *de Iustific. c.* 2. & 3. *Becanus in Manuali lib.* 1. *cap.* 16. §. 3. *Formalis* inquit *Causa est justicia inhærens, quæ nos formaliter facit justos.* §. 4. p. 388. *ibid. Quæst.* 1. p. 403. *seq. Jesuitæ Wilnenses* in Assertionibus ex *prælectionibus Paulinis thes.* 11. *Mense* Iunio Anno 1624. *Iustificatio perficitur gratiâ & caritate, quæ in cordibus fidelium per Spiritum S. diffunditur*, per *quam vere & justi in seipsis & Deo grati constituuntur.* In eo autem

Pontifi

Pontificii ab *Osiandro* discedunt: *hic* enim formalem Justificat: in justiciæ divinæ essentialis inhabitatione collocabat: Hi verò in ejusdem effectis, hoc est, meritis bonorum operum.

Cum *Stancaro* autem, negantes Christum *esse nostrum Mediatorem secundum divinam naturam*, vid. *Bellarm. l.* 5. *d. Christo.*

V.

Error *Schwencofeldii* & *Weigelii* conspirat partim cum *Osiandristico* partim cum *Papistico.*

VI.

Calvinianorum errores circa hunc articulū *sufficienter* recenset, & examinat Dn. *Mentzerus* in Exeg. *membr.* 6. Impingunt autem Calviniani circa omnes Iustificationis causas, statuendo. 1. Gratiam Dei 1. *absolutam.* 2. ad *solos Electos restrictam.* 2. Christi meritum *particulare* ad solos electos pertinere: 3. Vebum & Sacramenta ceu media ex parte Dei esse *inefficacia*, utpote in significando consistentia: quorum officium non sit amplius præter σχετικὸν, & *cohonestativum*: 2 non nisi ad *solos electos* pertinere ratione finis salutaris: 4. Fidem 1. esse *electorum tantum* (intellige salvificam) 2. excuti per peccata contra conscientiam non posse: 3 eam *non solam*, sed cum *renovatione conjunctam* justificare & salvare.

5. *Subjectum* justificationis esse *solos Electos* &c. Hæc, & similia emblemata leguntur apud Synodales Dortrechtanos, & alios pristinos, & hodiernes Calvini gregales.

VII.

Photinianorum hæresin circa articulum præsentem ex professo examinare brevior instituti nostri ratio haud permittit: sufficiat solummodò paucis lineolis eam recensuisse, juxta seriem in tractatione observatam: *Breviter*: Labefactant *Photiniani* universas Iustificationis causas, statuendo, 1. Misericordiam Dei *absolutam* citra meritum Christi, 2. Satisfactionem justiciæ divinæ læsæ pro peccatis nostris, 1. non fuisse *necessariam*. 2. fuisse *impossibili*, 3. ceu remissioni *contrariam*. 3. Verbum & Sacramenta efficaciam nullam habere effectivam, sed tantum objectivam & significativam: 4. *Fidem Salvificam* consistere in obedientia erga mandata Dei 5. *Fomalem* Iustificationis causam non esse meriti Christi imputationem; sed *absolutam* peccatorum remissionem. 6. *Finalem* non esse ostensionem justiciæ Dei vindicatricis, utpote, quam Deo esse ceu proprium attributum, & necessarium prorsus negant.

Talia effata reperiuntur, in scriptis *Photinianorum*: *Socini* contra Covetum de Servatore: *Ostorodi* in Jnstit: *Smalcii* contra Dn

Frantzi.

Frantzium, Michaelis *Gittichii* contra *Luciũ* &c. Refutata verò extant plusquam centies à Theologis 1. *Witebergensibus* Dn. *Frantzio* prolixissimè *Huttero* p.m. in L.C. *Baldvino* in refut. Cathes. Cracov. *Meisnero* in refutat. *Consultationis* Photinianorum, & Decad. 3. Anthropolog. disputat. 25. & 26. 2. Giessensibus Dn. *Menzero* in Exeges. 3. Lipsensibus D. *Höpffnero*. 4. Ienens: Dn. Gravero, Gerhard, M. *Lucio* contra *Gittichium* &c.

Appendicis loco, lubet Testimonia Antiquitatis, pro Solâ Fide *justificante* huc apponere; quæ nobis consignata reliquit Dn. Chemncius part. 2. loco. de *justific.* titulo: de Particulâ Solâ fide fol 305. seq. p.m. 203.

Particula (sola fide) in articulo *Iustificationis*; non à nostris primùm excogitata; sed in tota antiquitate summo consensu in hoc articulo semper fuit usurpata; sicut exempla ex Patrum scriptis hoc demonstrarunt. Sententiæ collectę sunt â *Roberto Barns*, *Æpino*, *Bullingero*, *Othone Corbero*, &c.

Ambrosius *quindecies* repetit hanc exclusivam, Rom. 1. 3. 4. 10. 1. Corinth. 1. Gal. 1. & 3. Origenes in 3. ad Rom. in uno loco Se-

*ptie*s repetit. *Basilius* in sermone de humilitate: Ita ait Apostolus: Qui gloriatur, in Domino glorietur, dicens, quod Christus nobis factus est à DEO sapientia, justitia, & sanctificatio, & redemptio, ut qui gloriatur in Domino glorietur. Hoc enim est in Domino gloriari, qando quis non effertur ἐπὶ δικαιοσύνῃ τῇ ἑαυτοῦ sed agnoscit, ἐνδεῆ ὄντα veræ justiciæ,, πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς χριστὸν δεδικαιωμένον. Sic gloriatur Paulus, despiciens suam justiciam, & quærens per Christum justitiam Dei, quæ est *per fidem.*

Hilarius libro. 6, de Trinitate: *Sola fides* confessa Filium Dei, omnium beatitudinum gloriam meruit. Canone 8 in Matth. Movet Scribas, remissum ab homine peccatum. Hominem enim *tantum* in Christo intuebantur, & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat, *fides enim sola justificat.*

Chrysost: in 8.cap. ad Roman. de illa sententia, Spe salvi, &c. Unum enim hoc tantummodò donùm Deo obtulimus, quod futura nobis promittenti credimus, atq; hac *solùm via salvati sumus.* Idem de fide & lege naturæ: *Latro credidit duntaxat,* & justificatus est à micordissimo DEO. Atq; hic ne mihi dixeris, defuisse ei tempus, quo justè viveret & honesta opera faceret. Neque enim de hoc contenderim ego; sed illud unum asseverarim, quod *sola fides* per se salvum faceret. Nam

si su-

si supervixisset, fideiq; & operum fuisset negligens, à salute excidisset. Hoc autem non quæritur; sed agitur, quod fides *per se* ipsum salvum faceret; opera autem *per se* nullos unquam operarios justificaverunt.

Gennadius in 3. ad Rom. Propterà omnes qui credunt in Christum, gratis justificantur, *tantum* fidem afferentes,

Theophyl. Gal. 3. Planè demonstrat Apostolus, fidem ipsam vel *solam* justificandi in se habere virtutem:

Bernhardus serm. 22. super Cantica: Quisquis pro peccatis compunctus fuerit, & sitit justitiam, credat in te, qui justificas impium & *solùm* justificatus per fidem, pacem habebit apud Deum.

Haymo Rom. 1. : Pluribus modis ostendit Paulus, justiciam & salutem non esse per Legem, sed per fidem in Christum, ut â Lege abducat & *in solâ fide* Christi eos constituat. Idem in Evangelio de circumcisione Christi, de gentibus sic loquitur : *Solâ* tantummodò fide salvabuntur, sicut scriptum est, Iustus ex fide vivet.

Bonaventura in 4. sentent. dist. 15. q. 1. Quia homo non potuit pro tanta offensâ satisfacere: ideò dedit ei DEus Mediatorem, qui satisfaceret pro offensâ, unde in *sola fide* passionis remittitur omnis culpa, & sine fide ejus nullus justificatur.

Lyra in 3. ad Galat. Ad quid fuit Lex utilis non justificavit; sed sola *fides*, quare ergo posita est & data?

Glossa ordinaria Epist. Jacobi: Abraham per opera quæ fecit justus non fuit; *sed solâ fide* oblatio vera ejus est opus, & testimonium fidei & justiciæ.

Verè igitur possumus dicere cum Erasmo: Hæc vox (SOLA) tot clamoribus lapidata hoc seculo in Luthero, reverenter auditur & legitur in Patribus.

De *Augustino* clamitant Pontificii, quod non utatur illâ exclusivâ. Sed extat in sermone quadragesimali. Et in expositione hujus sententiæ, credidit Abraham DEO &c. Ecce sine operibus Legis justificatio ex fide, & quicquid ille legali observatione possit conferre, totùm fides donavit. Ibid. Quod credidit Abraham DEO intus in corde, *in sola fide* est. In Johan. cap. 8. Tract. 42. præcognitis quod nō fuerant credituri in Fide, *quâ solâ* possent â peccatorum obligatione liberari. &c.

Conf. Comp. Theol. PP. p. 375. et Lobech. Disp. 7. in A.C. p. 1.

Gloria in excelsis Deo.



